

F A

in Glaucmate nihil prorsus quis uideat,
in Hypochymate uero modicum.
Exudent, quasi sudando siccescant, exuātq;
noxium succum. Colum. lib. 12. cap. 5.
Exuperantia, eadem quæ & exacination. Vi
de, Exacination.

E X Y

ἔξυδ' ἑίας, quasi aquatores dicuntur uenti,
qui cum pluuijs aqueis grassantur, impetu
& confertim effusis.

F A B

Faba Græca. Lege, Lotos. Item,
Faba græce *κίναμος*. Egit de Fabis
Dioscor. lib. 2. Plin. lib. 18. cap. 12.

Faba Aegyptiaca, quam Ponticam etiã alij
uocant, plurimum nascitur in Aegypto,
Asia, Ciliciãq; palustribus locis. Grande
folium Galeri modo habet, caulem cubita
lẽ, crassitudine digitali, flore roseo, colore
duplo, ad papaueris florem magnitudine:
qui cũ defloruit, uesparũ fauis similes utri-
culos profert, in quib. Fabæ sunt, paululũ
bullarũ modo supra operculum emergen-
tes. Vocatur id Ciboriũ, ab aliquibus autẽ
Cibocium: quasi scriniolum: propterea, q̃
seritur Faba hæc, indito in madente gleba
semine eius, sicq; in aquã proiecto. Come-
ditur uiridis Faba hæc etiã, nigrescit sic-
cata. De Faba Aegyptiaca hæc fere Dio-
scorides. Vide & Theophrast. libro, 2. de
caussis Plant. cap. 18.

Fabæ Baianæ. Insbres, & Ligures Fabas
suas recentes uocant, Baianas.

Fabalía, Fabarum purgamẽta, ut inquit Pli-
nius: uel ut M. Vergilio placet, Fabarum
frutices, & siliquæ, cum sua cute & corio,
Fabaginem, a Faba primus deriuauit Cato
de re rustica.

Fabulum, idem quod Faba, teste Gellio, &
Festo. Plautus in Stich. Hęc satis est pro
opibus nostris, satis commodule, nucibus
fabulis, ficulis.

Fabulum marinum, Papauer corniculatũ,
apud Dioscor. lib. 4. cap. 69.

Fabulus, in Catone, quidam pro Faba can-
dida interpretantur, quam ille bubus cum
languet, dare præcipit. Etiam si in quibus-
dam Columellæ exemplaribus ueteribus,
Balbulos legitur, fortasse pro Fabulos.

F A C

Faces, ab facis succensæ similitudine, coele-
stis ignis inflammatio.

F A

Faciem, partẽ eam nominamus dumtaxat
in homine, quæ caluæ subiecta est. Nam pi-
scis & bouis faciem dicere non solemus.
Aristot. lib. 1. Animalium, cap. 8.

F A G

Fagus, Lege, Quercus.

F A L

Falces, scirpiculæ, a scirpando, id est, a ligan-
do. Nam ijs utuntur in uinea liganda.

Faliscus, suis uenter. Papinius. Non Luca-
nica, non graues Falisci.

Falco sacer, seu Britannicus, aquilæ magni-
tudine, capreolos inuadit.

Falconum multa genera recitat lib. de Ani-
malibus Albertus.

F A M

Fames, morbus est Hippocrati: item sitis,
& alia corporis incommoda. Lege Hipp.
lib. de Flatibus, fol. 53.

Fames interdum pro defectu ciborum acci-
pitur: interdum pro tenui, & parũ idoneo
uictu, apud Galen. lib. 2. Aphorismorum,
Aphor. 16.

Famescere dicimus, qui ob ciborum inopiã
in extremam esuritionem perueniunt. Ga-
lenus lib. 2. Aphor. Aphor. 16.

Fauces uocantur, internus oris locus, ubi si-
mul conueniunt & gulæ, & gutturis par-
tes extremæ.

F A N

Fanatici olim dicti sunt homines numine
afflati, qui græce *ἐνθεοί*, & *θεοφοροῦμενοι*,
quod non sua sponte, sed diuino numine
ferantur. Cuiusmodi fere fuerunt quinde-
cim illæ Sybillæ, & apud nos Prophetæ.

F A R

Farciminofus. lege, Morbus farciminofus.
Farfugium, Chamæleuce, folio populi, sed
ampliore, nascens iuxta fluuios: unde Po-
pulago dicta. Hanc & Farfariam uocari,
Dioscorides testis est, a fluuio fortasse Far-
faro, quem Vergilius Fabarim appellat.
In Sabinis Plautus. Dissipabo te, inquit,
ut folia Farfari. Hæc Barbarus in Corolla-
rio Bechij.

Farina hordeacea, differt a Polenta: quia
torretur Polenta, non Farina.

Farinam, Græci *ἀλευρον* ἢ *ἄλφοτον*, & Ha-
lisparton, & Aliaton, & Aliton uocant.
Quanquam Alphiton Polentã fere signi-
ficat: Aliata, Farinam coctam.

Farraginaría, locus ubi Farrago seritur.

Farrago excrementis farris prædensa feritur, admixta aliquando & uicia. Eadem aliquando fit ex hordeo. Vide, Hordeacea uocatur Farrago. Hanc esse Barbarus existimat, quam Cratin uocat Aristoteles, siue quod idem est Crastin: & fœnum semi aridum intelligunt.

F A S

Fasciæ. Vide dictionem, Lumbrici.
Fascinatio, & incantatio inter portenta referuntur, quam uno consensu & diuinæ scripturæ, & publicæ, priuatæq; Leges damnant, capitaliq; supplicio, nec immerito, puniunt.

F A T

Fatalis, Potamogeton, apud Dioscoridem lib. 4. cap. 102.

Fatidici qui sint, require in dictione, *μαντικὴν* appellant.

Fatiscit, resoluitur, languescit, deficit. Plin. Sine calciatu fatiscunt. Columella libro septimo, capite. 3.

Fatuxæ betæ, falsi saporis expertes.

Fatui cibi dicuntur insipidi, & inconditi. Martialis in Xenijs.

Vt sapiant fatuxæ fabrorum prandia betæ,

O quam sepe petet uina, piperq; coquus.

Fatum lapidem Herm. Barb. pro insipido transtulit in Themistio, hoc est, nullius saporis: quem Græci *ἄχιλον* dicunt.

Fatuus sal, id est, qui cōdimenti saporē amittit, ut Matth. 5. *εἰ μὴ τὸ ἄλας μωρανθῆ.*

F A V

Fauces, locus oris interior, in quo simul coeunt gula, & gutturis partes extremæ.

Fauus, est ulcus, continuos habens meatus, aut foramina, ex quibus melleus quidam humor excernitur.

Fauis, ulcera quæ *κίρτια* uocant Græci.

Fauonij, ab occasu uenti.

Faustinus Medicus, citatur ab Aetio serm. 9. capite. 49.

F E B

Febrifuga, Matricaria.

Febrifuga, Centaurea minor. Dioscorides lib. 3. cap. 8.

Febrifuga, Coniza, apud Dioscoridem lib. 3. capite. 135.

Februm tempora quatuor sunt: Accessio, Incrementum, Status, & Declinatio.

Februa, lanæ sunt, & arborum rami, quibus olim redimiti sacerdotes expiabant domos:

quod deinde nomen ad omnia purgamina translatum est.

Febris est exuberantia caliditatis morbose, redeuntis cum mutatione pulsuum, modo crebrius, modo uehementius. Vel sic,

Febris est intemperies naturalis spiritus, in statum calidiorē, atq; sicciorē declinans.

Febris continua est, quæ neq; die, neq; nocte intermittit. Ardens febris, est feruor,

qui cum inflammatione multa nullam quiescendi remissionem corpori præbet. Hæc

linguam reddit aridam, ac nigram, & frigidam cupiditatem, atq; sitim ingerit. Emphy-

sodes febris, est uehementia caloris, quæ in ore gignit & pustulas, & inflationes. Li-

pyria febris est, in qua extremæ corporis partes frigesunt, uruntur autem intima:

cohibentur excretiones, sitientibus lingua exasperatur, pulsus debilis, adeoq; exiguus,

calor innatus perinde quasi deficiat, adeoq; mortuus sit. Rhodes febris est,

quæ cum profluuio alui, frequenterq; cum uomitibus rigorem, atq; frigus infert: ad hæc, repentinā purgationē uirtutis, cū siti

ac uigilia, & pulsuum debilitate. Astringens febris, est cōtraria fluenti, nihil excrementorum eiciens, pulsus ingens est, ma-

cerans, & longior morbus. Icteriades Febris, quæ colorem icterico similem gignit,

iecur exurit, linguam exiccat, cuius superficiem reddit aspectu horribilem. Pestilens

Febris, quæ cum uehementi calore sitim intolerabilem adfert, excretiones alui cū stre-

pitū exeuntes, foetidæ, atq; male olentes reddit: urina multa, graue olens, pulsus

exilis, & uix perceptibilis. Languida Febris, quæ cum perturbatione fit capitis, uel

quæ per nares fluxum ciet, uel excrementi retentionem. Phrycodes Febris, quæ ad-

mixtam habet rigori caliditatem: pulsus est ualde debilis, utpote qui ad tactū uix per-

ueniat, aut nō cadat sub sensum, sed est pene extinctus, tumefactus, sublatrat, & in-

strepit: lingua humida ualde, aridū quiddam & amarulentum, ueluti spuma lota,

habet. Quotidiana febris, quæ singulis diebus ac noctibus, ut plurimū eodem tempo-

re reuertitur. Tertiana est, quæ unū diem intermittit, tertio redit. Quartana, quæ du-

os dies intermittit, deinde redit. Hemitritæos, id est, semitertiana, quam nos dici-

mus secundum uetus dictū in primo Epi-

F E

diniarum libro, Febrim Acutam: non enim in uniuersum intermittente, unam autem leuiorem, alteram uero grauiorem infert accessionem. Methodici Hemitriteam exiguam esse, duobusque interuallis fieri dicunt. Errabundae febres, quae neque statum, neque tempus, neque ordinem ullum seruant, Galenus de Definitionibus.

Febris καύσων, fit aestiuo tempore, quando uenae exsiccatae, acutos, & biliosos ad se humores trahunt, Galenus lib. 4. Aphorif. Hippo. 58.

F E C

Feciuium. Inter genera uitium est Feciuium: ex eo dicta, quod plus quam ceterae fecis affert, quod tamen incommodum repensat uiarum multitudine: uentos & imbres patienter suffert, aestu infestatur, minuti acini & durae cutis uuas habet, lib. 12. capite. 45. Columella.

F E L

Fel, ex inferiori parte hepatis adsidet, cuius folliculus ab Graecis dicitur Choledochus, qui flauum continet humorem pallescentem, quoniam ab Galeno dicitur uel coloris Cyanei, aut Isatidis herbae. Est uero nihil aliud, quam purgamentum pessimi sanguinis.

Fel terrae, Centaureum magnum, apud Dioscoridem lib. 3. cap. 7. Quamquam inibi mendum existit, & ab imperito fortasse Librario ex minore Centaureo eo translatum. Nam minus Centaureum proprie & uere Fel terrae dicitur. Vide de hoc Vergilij commentarium.

Feles, animal quod Graeci αἰλουρον uocant, animal familiare ac domesticum, omnibus notum: uulgo Catus nominatur, ut opinor, a solertia. Nam Catum sapientem dicunt, & acutum, Graeci αἰλουρον uocant. Plinius tradit, Felium oculos in tenebris fulgere. Idem alibi sic refert: Feles quidem quoquam leuibus uestigijs obrepunt auiibus: quam occulto speculatu in musculos exiliunt: excrementa sua effossa obruunt terra, intelligentes odorem illum indicem sui esse. Verum apud Columellam & Varronem Feles accipi uidetur pro fouino: sic enim uulgus appellat bestiolam gallinis maxime infestam, noxiamque, & saepe gallinaria tota contrucidantem, Columella libro. 8. capite tertio.

F E

Felliduca, graece χολαγωγός.

F E M

Femen, Perineum uocant Graeci.

Femina dicuntur, quae a pectinis osse oriuntur. Sunt enim femora, coxae interiores: & sine diphthongo scribi debet, cum prima syllaba corripatur. Ver. Eripit a femine. Hinc Subfemina, id est, subfemora interiora. Interfemineum eleganti uocabulo Apuleiano, dicitur genitale muliebri, quasi inter femina collocatum, Colum. lib. 6. cap. 37.

F E N

Feniculum, condimentis idonea, & usitata herba, nota, & celebris. Iuramenta eius lege apud Dioscor. lib. 3. cap. 79.

Feniculum Equinum, Dioscoride Hippomarathrum, lib. 3. cap. 80.

Feniculum syluestre, Dioscor. Hippomarathrum. lib. 3. cap. 80.

Feniculum Erraticum, Dioscor. Hippomarathrum. lib. 3. cap. 80.

F E R

Ferali mense Lupercij, id est, Februarii mensis, in quo sacra Feralia mortuis fiebant, & Iudi Lupercales.

Feris denicales colebantur, cum hominis mortui causa familia purgabatur.

Ferramentum foenifecis. Foenifex, sic enim elegantius dicitur, quam Foenifecus, siue Foenifeca: est is qui foenum secat. Foenifecia, dicuntur foenifeciones. Persius, Foenifeces crasse uitiantur unguine pulles. Columel. lib. 2. cap. 18.

Ferrugo, non solum color est compressae purpureae, uel coccini, ut illud Vergilij, Ferrugine tinctus hyberae, & Ferrugineos quoque hiacynthos, uocantis, uerum etiam rubigo ipsa ferri, Plinio.

Ferrugineum colorem, ferrum longo situ rubiginosum, facile a se appellatum ostendit: agit enim is, id est, refert colorem ferri. Quin & filamenta, quibus saepe conopoeum, & multae praeterea uestes lineae circumsumuntur, Ferruginea dicunt infectores. Tunica etiam nuclei pinei lanugine quadam puluerulenta, Ferruginea est. Erat is quoque lugentium color. Itaque capitur non numquam & ipse pro funesto: atque ea de causa Hyacinthi dicti fuerunt a Vergilio Ferruginei, quasi lugubres: quia puerum, ut est in fabulis, casu interfectum, Apollo diu luxit, atque in eius folijs uelut epitaphium, in Graecis

doloris perpetuum monumentum inscrip-
psit: non quia uere floris color sit Ferrugi-
neus: est em̄ is, in quē mutātū ferunt adole-
scentulū, purpureus. De Hyacintho in li-
teratū flosculū transformato fecimus hoc.
Nil opus elogio redimire, aut flore sepul-
chrum, Ipse sibi flos est, elogiumq; puer.
Eodem modo cœlum uocatur Ferrugine-
um, hoc est, nubilū & triste, atq; apud eun-
dem Vergiliū, Sol caput suum nitidum
in morte Cæsaris textit ferrugine: quasi co-
lorem se induit lugenti aptum, ut tanti uiri
cædem Sol ipse lamentari uideretur. Nec
alia ratione Charontis nauiculā dixit Fer-
rugineam, quam qm̄ ea una, loco Sandapi-
læ, mortuas oēs uespillo indefessus trans-
uectat. Autor Thyles. Consen. de colorib.
Ferula syluestris, Tapsia, Diosc. lib. 4. c. 159.
Ferulę descriptionē, lege apud Diosc. lib. 3.
cap. 89. Plinium, lib. 13, cap. 22, lib. 20, ca. 23.
lib. 24, capite. 1.

Ferulago, Tapsia, apud Diosc. lib. 4. ca. 159.
Ferula calidis nascitur locis, atq; trans ma-
ria, geniculatis nodata scapis. Duo eius ge-
nera recēset Plinius. Semē eius quidā Ta-
psiam uocāt: decepti eo, qm̄ Ferula sine du-
bio est Tapsia, sed sui generis, folijs feniculi,
inani caule, nec excedente baculi lon-
gitudinem. Semen, quale Ferulæ. Radix
candida. Incisa, lacte manat, & cōtusa suc-
co: nec corticem abdicant. Omnia ea uene-
nata. Plin. lib. 13, cap. 22.

Feruor, & Feruētia uocatur a Platone, quo-
ties melācholia attollēs se feruet ac bullit.

F E S

Festuca dicitur & arboris nouellæ, omni-
noq; infantis cuiusque sati, ut Augustino
quoq; placet.

Festucago, Aegilops, uel Bromos, apud
Dioscor. lib. 4, cap. 140.

F E V

Feuxaspidion, Polium montanū, apud Dio-
scoridem lib. 3, cap. 122.

Fulgor fixus, est extensio longe porrecta,
& loco permanens, & tanquam prostrui-
um syderis. Vel,

Fulgor, est ignis collectio, qui in aere exar-
sit, per cœlum ille quidem aut iaculari spe-
cie transmeans, aut uno loco fixus.

Fulmen uocatur, si quod fulserit, ad terram
usq; cursim illisum sit. Sin semiustum qui-
dem, sed uniuersum tamen, uiolentumq;

incubuerit, *πρησής*, hoc est, accensus Tur-
bo dicitur. Quod si prorsus ignis nihil in-
terim ceperit, *τυφώ* uocatur: qui est uer-
tex procellosus, & euerberans. Horū quic-
quid in terrā impetu decubuerit, *σκηπός*,
id est, Fulmen nominatur. Qui *ψολόεις* di-
citur, cum fuliginem contraxit: *ἀργής*, si
raptim emicauerit: *ἐλικίας*, si lineari spe-
cie confirmatus est.

Fuluus color, ex omnibus maxime lucet,
quem multa iactant. Orichalcum in pri-
mis, Aurum, ipseq; etiam Stelle. Serenus.
Quas non extinguunt uenti, nō nymbus
aquosa Nube cadens, celsa semper sed luce
coruscant. Quare Tibullus proprie syde-
ra Fulua appellauit. Est & aureolæ speci-
es arenæ, quam Fuluam dixit Vergilius:
& genus quoddam aquilæ, ab Aristotele
maxime celebratum, colore etiam Fuluo.
Qui si obtusus quodāmodo est, atq; obscu-
ratus, uocatur Rauus. Iamq; sic Horatius
Lupā appellauit, cuius colorē noto magis
uerbo pleriq; oēs Fuluū dixerūt. Tradunt
aliqui Rauos oculos, quos in cane & arie-
te laudat M. Varro, inter cæsios esse & fla-
uos. Ornat sæpe color hic Flauus uirginū
ac puerorum capita: atq; in maturis frugi-
bus semper elucet, necnō pro pulchro fre-
quenter positū uidemus. At Luteū nihil
æque ostentat ac flos Calthæ, & Genistæ,
ouicq; etiā uitellus. Croceo est hic perq; si-
milis, sed lucidior aliquanto: ab antiquis
Flammeus quoq; dicitur, qm̄ eo Flamini-
s uxor Flaminica utebatur. Potest hoc loco
Pallidus poni, ac Luridus: mortui color
est hic horribilis, ipsiusq; mortis, ut Poetæ
dicunt, & Plutonis. Ille nonnunquam uel
gratus in homine, atq; amabilis.

F I B

Fiber ponticus, a Græcis Castor appellatus,
ut ait M. Varro, extremas fluminum oras
accolens. Meminit eius & Aelianus.

Fiber: quem Græci *κάρσος* appellant, ab
extrema ora, ut M. Varroni placet, uoca-
tus, quoniā dextra & sinistra fluminis ma-
xime uideri solet. Et antiqui fibrum, in-
quit, dicebant extremum. Differt a Lutra
Fiber sola cauda, cætero pilus utriq; plu-
ma mollior. Dicta uero Lutra est, quod se
in aquis lutet. Ob id Græci *ἐνυδρον* uiden-
tur appellasse, quod Theodorus Lutrin,
non Lutram cōuertit. Plinius Enhydrin-
m iij

da, serpentis nomen esse maluit, ut aquatilis colubri. Varro quoque non Lutram a lundo, sed Lytram tradit: quoniam succidat, dissoluatque in ripis arborum radices. De Castoribus cetera lege apud Dioscoridem libro. 2. Plin. lib. 8. cap. 30. Strabonem lib. 3. Serapionem. 445. Galenum ad Paternianum cap. 49. Auicem. lib. 2. de Castoreo. Fibrae. Vide *ὄνες*. Dicuntur & uenulae pulmonis.

Pellicij Fibri. Latini Fibrum dicunt, Graeci Castorem, qui amputatione genitalium liberat se a uenatoribus, gnarus ob medicatos testes se peti. Colum. lib. de Arbo. c. 15. Fibulas uocat Celsus, quibus uulnerum labia contrahuntur, ne latior cicatrix fiat.

F I C

Ficarios culices, caprificus generat. Plinius lib. 11. cap. 55.

FICORVM genera.

Ficus Aegyptia. Lege, Siliqua.

Ficus Aegyptia, id est, Sycomorus. Lege, Sycomorum.

Ficus Cypria, in Creta nascitur, ut inquit Barbarus. Trunco pomum fert, & ramis, cum in crassitudinem adoleuere. Distat a Ficu Aegyptia, quod germina emittit sine ullis folijs, radice similima: cui fructus quasi cuspidis accessu, praepilatur. Pingitur copiosius a Barbaro Corollario in Sycomoron.

Ficus Chalcidice, quarum genera plura.

Ficus Lidia, quae sunt purpureae.

Ficus Mammillan, similitudinem mammillarum habentes.

Ficus Calistruvia, parum sapore praestantiores, sed Graecorum iudicio prelatae ceteris.

Ficus Africana, siue Libryca, primae notae, cuius etiam celebratae Carthaginis excidio.

Ficus Sulca.

Ficus Topica.

Ficus Alexandrina.

Ficus serina, cognomine delicata.

Ficus Rhodia.

Ficus Tiburtina.

Ficus Liuiana, siue ut alij uocant, Liuia, Pompeia, in usus annuos arefactae solibus, aptissime cum mariscis.

Ficus harundinea, harundinei folij macula uariantes.

Ficus Alfula, eadem quae & Harundinea.

Ficus Herculanea.

Ficus Albicerata.

Ficus Aracia alba, pediculo minimo latissima.

Ficus Asinistra.

(ma.

Ficus Atra.

Ficus Palusca.

Ficus Augusta.

Ficus bifera.

Ficus Cucurbitana.

Ficus Leptolydia.

Ficus Marsica.

Ficus Numidica.

Ficus Pulla.

Ficus Pompeiana.

Ficus Attica, delatoribus inde cognominatis, praesertim Aegilides.

Ficus Phrygia.

Ficus Laconica.

Ficus Phibalea apud Hippocratem.

Ficus Aemonia.

Ficus Megarica.

Ficus Toxalica.

Ficus Oporabasilides.

Ficus Amadei.

Ficus Coracei.

Ficus Nicolei.

Ficus Basilica, uel Basilides.

Ficus Hybernas, Cydonias quidam Graeci

Ficus Cimolia.

(appellant.

Ficus Porphyritis, longissimo pediculo.

Ficus Popularis, uilissima.

Ficus Chelidonia, quae nouissima sub hyeme maturatur. Haec rubens est e nigro.

Ficus Barbachytra, ficus totaliter nigra.

Ficus Duricorica, a corio appellatae duro.

Ficus *oves*, Tarantinae, praedulces.

Ficus Saguntina.

Ficus Teliana.

Ficus Hyberna.

Ficus Moesia.

Ficorum & generis sunt sequentes. Cirocoeliada, Picridia, Hiladia, Sarcelaphia, Lapyria, Dracotica, Leucophica, Melanophica, Crenea, Myloca, Ascalonica, Traliana, Bringidarides, Prosenides, Aegilides, Nicostatica. De quibus singulis uide Corollarium Herm. Barbari, quod annotauit in ficus, totum ex Polluce & Athenaeo extractum.

Ficaria grana, Plinius frumenta noiat, quae nos *κρυγαμίδες* uocari graece diximus. De Ficibus optima quaeque lege apud Barb. in Coroll. Ficus.

De Ficibus prouerbia adnotauit in Chilia
dibus suis Erasmus rhapsodus. Assentari
nescio ficum: ficum panem dico. Ficum
post piscem. Gallinaceos amantibus, ficū
ne serito.

Ficus sacra uocabatur Athenis uia, quæ du-
cit ad Eleusinem.

Ficus Indica, cuius germina per ambitum
radicari tradunt, neq; caudicem continge-
re, arbor magnitudine insigni, ut sub qua
tres turmas equi condi affirmant. Caudi-
ci crassitudo sexaginta pedes. Ramorum
umbrae late operiunt: folijs Amazonicæ
pelte amplitudo, formaq; ut Solin. inquit.

Fico fumus acerrimus, caprificoq;.

Ficus sola ex omnibus arboribus nō floret.

Ficus flammam mollissimam reddit.

Fici cinerum lixiuuium acerrimum.

Ficus capitis, nuncupantur germina ulcero-
sa, rotunda, acuminata, subdura, subrufa,
quæ comitatur etiam dolor. Oriuntur &
hæc reliquo etiam in corpore. Paulus li-
bro tertio.

Ficosa exanthemata, Ficibus similes uo-
micæ, & pustulæ, apud Paul. Aeginetam.

Ficus terre, Astragalus, apud Dioscoridē
lib. 4. cap. 65.

F I D

Fidelię. Nomē est fictilis uasis, de quo Pers.
Respondet uiridi non cocta fidelia limo.
Plinius. Multa congeliam tibi plenam faci-
am fideliam. Fidelia crebra mentio est a-
pud Columellam, utpote uasis condendis
salgamis maxime idonei, Columella libro
primo, capite. 7.

Fidicula, in cœlo sydus est, quod appellatur
modo Lira, modo Fidis, modo Fidicula.
Alias Fidiculas accipimus pro genere tor-
menti, ut in Commētarijs Suetonij est ex-
plicatum. Colum. lib. 11. cap. 2.

Fidicula, Trichomanes, apud Dioscoridē
lib. 4. cap. 138.

Fidipedes, auium generis, apud Aelianum.

F I L

Filica, Pteris, uel Filix, apud Dioscoridem
lib. 4. cap. 196.

Filicula, diminutiuum a Filice.

Filicula herba, Catanance, apud Dioscor.
lib. 4. cap. 135.

Filicula, Polypodium, apud Dioscoridem
lib. 4. cap. 198.

Filicones dictos existimāt a Filice, quos ue-

teres pro malis & inutilibus accipiebant.
Dicebatur et filicati calices, a Filice herba.
Filifanaria, Pteris, apud Dioscoridem libro
quarto, cap. 196.

Filius uiuus, Quecksylber.

Fellicula, legendum, Filicula. Est enim di-
minutiuum a Filice herba, de qua Persius.
Non tamē ista filix ullo mansuescit aratro.
Pterin Græci uocant. Præterea alia est her-
ba nomine Filicula, quam græco uocabulo
Polypodium appellant, similis est Filici: bi-
lem detrahit, in petris nascitur. Columella
lib. 6. cap. 26.

Filum, uinculū, uel neruus sub lingua, qui
linguam in infantibus retinet, ne loquan-
tur: quod solui ab obstetricibus oportet;
alioqui muti euadunt pueri.

F I N

Finis est, cuius gratia quæ ad medendi facul-
tatem spectant, ordinantur omnia. Finis
etiam est, ad quem tendunt & referuntur
omnia, quæ sunt medicæ speculationis. Fi-
nis enim medendi est, quod assecuti, nihil
quærimus amplius.

F I S

Fisco, Fiscus iuncea. Columella lib. 12. capite
48. Hinc Fisculus, paruus Fiscus, siue Fi-
scella iuncea. Columella libro. 12. cap. 49.
Et lineum Fiscum uocat Columella libro
12. capite. 38.

Fissile uocatur, quod nō ampliorem, quam
quæ ab eo quod diuidit, fiat, diuisionē sub-
ire nequeat. 4. Meteo.

Fistici, Pistacia, idem.

Fistula, profundum ulcus, callosum, angu-
stum, & obliquū, cicatricem difficilem ad-
mittit. Idcirco humorem quodam tempo-
re excernit tenuem.

Fistula item est sinus callosus, dolore ali-
quantulum uacans, qui in plerisque mēbris
exoritur: fitq; ut plurimum ex abscessibus
male curatis. Paulus lib. 6. cap. 77.

Fistula spiritalis, id est, arteria, Luffiror. A-
lias, guttur.

Fistula cibalis, gurgulio. Alias, principium
stomachi. Alias, gula. Alias, stomachus.

Fistulæ claræ. Lege, Fistularum differentię.

Fistularū differentię duæ. Harū em̄ quedā
clarę sunt, quedam occultę: quę in basi os
habent, finē uero in superficie. Clarę os ha-
bent in basi, & sinum ad superficiem. Oc-
cultæ, quæ os & sinū habent in profundo.

F L

Fistura, unde dicitur fisturare, spissare apud Vitruuium, & Plinium, & Cesarem in cōstructione pontis: instrumenti nomen est, quo figuntur, pangunturq; in terram sublicia, palicq;.

F L A

Flaccidi uocantur, quorū aures pendent, & non sunt arrectæ.

Flagella, uirgæ, siue capita minorū sarmen-
torū, ubi nascitur uua. Teut. Spræfsling.

Flammea, Lychnis dicta, apud Dioscoridē
lib. 3. cap. 113.

Flammatilia sunt, quæ flammā emittere que-
unt. Inflammatilia, quæ nequeūt. 4. Meteo.

Flammeus color. Lege, Color uarius.

Flatuosus morbus, Epilepsie tertia species,
quæ fit ex melancholia. De qua uide Ga-
lenum lib. 4. de locis affectis, cap. 6.

Flatus qui in aere spirant, uentos, auras, &
exspiratiōes dicimus, quæ ex humore pro-

fluus color. Lege, Fuluus. (deunt.

Flexilia atq; ductilia corpora sunt, quorum
longitudo ex ambitu in rectum, & ecōtra
e recto in ambitum permutari ualet, flecti
ac dirigi. Aristot. lib. 4. Meteo.

Flexio est ad deuexitatem, aut concauitatē
seruata longitudine motio. Idem ibidem.

F L O

Flomus, id est, φλόμος, Enule campanæ co-
gnomen, apud Diosc. lib. 1. dict. Heleniū.

Floridus color. Lege, Color uarius.

Flocci, particulae lanae, diuise a uelleribus.

Florem uocant & uermiculum, qui nasci-
tur in calamo aromatico.

Floridum cataplasma, quod uocant græce
ἀνθηρόν.

Florus, Anthus uocata auis apud Aelian.

Flos Achaicus, id est, lacca, uel Cancanum.

Autor Democritus, si modo eius est liber,
qui de tingenda purpura circumfertur.

Flos campestris, Argemone.

Flos campestris, Anthyllis, apud Dioscor.
lib. 3. cap. 152.

Flos campestris, Parthenium, apud Diosc.
lib. 3. cap. 156.

Flos æris, quem nonnulli clauorum ueterū
ramentum, id est, psegma nominauerunt.
Differt ab Calchanto, quod atramentū est
sutorium. Differt & ab squama æris, quæ
ui atq; ictibus clauis & panis æreis excuti-
tur: Flos uero sponte cadit. Fit autē in era-
rijs officinis, iā fuso ære atq; percocto, ad-

F L

ditis etiamnum carbonibus. De flore æris
est apud Dioscor. lib. 5. cap. 79.

Flos plumbi, Bleyuueis.

Flos salis, flumine Nilo defluit, græce ἀλος
ἀνθῶ. Require Dioscor. lib. 5. cap. 120.

Flos Syriacus, Cancani species, tinctu-
ræ apta.

Flos, generale nomē, & dialecticum, genus
adeo omnium florum, cuiuscunq; tandem
generis: sed preter hoc, in omni re purissi-
ma & tenuissima quæq; pars, floris appel-
latione demonstratur.

F L V

Flutæ, murenæ in freto siculo, græce dictæ
πλωται. Murenæ enim & anguillæ uo-
cātur Græco uocabulo Plotæ, Latino Flu-
tæ: quod in summo supernantes sole tor-
refactæ curuare se posse, & in aquam mer-
gere desinunt, atq; ita faciles capti sunt.
Autor Macrobius. Columella libro octa-
uo, capite. 17.

Fluctiones pectoris, thoracis rheumatif-
mi sunt.

Fluctio, rheumatismos.

Fluxus, siue rheuma oculorum. Lege, Ocu-
lorum morbi.

Fluxus albus. Lege, Muliebris defluxus.

Fluxus ruffus. Ibidem.

Fluxus niger. Ibidem.

F O

Focaneus, dictus est palmes, quasi in fauci-
bus uitis enatus. nam, ut inquit Columel-
la, solet in bifurco medius prorepere: illud
autem bifurcum ueluti fauces in uite re-
presentat. Columel. lib. 4. cap. 24.

F OE

Fœmina quādo gignatur. Lege, Fœtus pa-
rentis pars.

Fœnifecæ dicuntur, qui fœnum secant &
demetunt.

Fœnum chordum, secundarium fœnum,
quod Augusto mense uellitur, Autumna
leq; uocatur. Sed pecus chordum, & chor-
dum suum dicimus, ut Græci opsigonon.
Lege, Chritmon.

Fœnumgræcum, notissimum legumen, di-
gerendis & præmollendis duriciēbus ac-
commodum. Eius iuuamenta plurima ex-
tant apud Dioscor. lib. 2. cap. 112. Plin. lib.
24. cap. 19. Colum. lib. 2. cap. 11.

Fœnus, mustela, quæ meles uocatur latine,
secundi generis mustelarum, Aelianus.

Fœtus, parentis pars nō est: nam hoc pereunte, necesse esset illum quoque emori: uel edito, functionum offensam capere, tanquam deficiente aliquando parte, suo corpore priuata. Nutritur fœtus in locis comprehensus, & inuolutus, atque coactus. Nutrimentum nunquam per os, sed per umbilicum capit. Quidam autem animal, alij autem minime dixerunt. Qui animal esse dixerunt, ex motu ipso ita esse coniectarunt. Nam mouetur fœtus, & delectari uidetur, quum mater gaudio afficitur: eademque affecta, contrahitur tristitia, & cogitur ut animal sensibile. Hæc enim sensibilitas cui alteri est quam animali? Alij autem non animal esse dixerunt. Nutrirī uero, & augeri uolunt ut stirpes, aut arbores: neque aut motum uoluntarium, aut inuoluntarium habere: quemadmodum animalia. Nō enim si apte uoluntate mouetur, sed ut arbores, & plantæ. His autem motus causa sanguinis expers est, fœtibus autem ibi contenta humiditas & lapsus, atque figura uulua. Quum enim plena est, rotundæ instar agglobatur. Rotunda siquidem, ad omnem motum nata & idonea, stare nesciens. Asclepiades autem neque animal, neque non animal esse factum, & in utero matris declarat, sed dormientibus, ac sopitis simile. Quemadmodum hisensus habent, sed non utantur, sic qui in utero sunt. Gignitur quidem masculus secundum aliquos, quum id quod ex dextra quidem parte auulsum semen est, descendit in uulua, aut locos. Fœmina uero, cum id quod a sinistra. Alij autem dixerunt, propter propriam seminis commixtionem, uel propter caliditatem, aut frigiditatem gigni. Calidius autem semen marem progignit, frigidius uero fœminam. Gemelli, & tergemini secundum aliquos, propter calidum semen in locis contractum, atque ibidem decisum. Sic enim gemellos, & tergeminos fieri aiunt. Alij autem comprehensiones causantur. Nos uero dicimus: quod si decisum sperma defluerit in locos binos, tunc gemellos: si in tres, tunc tergeminos. Monstra, ut aliquibus placet, fiunt propter inclinationem uulua. semē enim effusum inæqualiter, monstra facit. Sic & plumbum calefactum, posteaquam inæqualiter fufum est, inæqualia facit simulachra. Monstra autem defecta fiunt quædam magnitudine,

ut quæ magno sunt capite prædita. Alia paruitate: ut quæ parua habent capita. Non nulla abundantia: ut quæ sex digitos in altera manu habent. Sed qui septimo mense nati sunt fœtus, uiuunt: octauo nequaquam. Octauus numerus recens est coniunctus, non autem iudicatorius. Septem numerus est superfluus, & non coniunctus, sed iudicatorius. Causa conceptionis, est moderata locorum caliditas, nec non recens menstruorum purgatio, & appetitus libidinis. Quum hæc enim non concurrunt, semen continetur. Primum constituuntur loci. Loci illi ex duabus uenis, totidemque arterijs constant. Quinta pars absoluitur, quæ *ὄυραχου* uocant: uel postea alueus est fœtus, locus cui post suppeditat nutrimentum. Dolores sunt aceruati, spiritus delatio, ad excursum fœtus tendentis. Galen. lib. de Definitio. Fœtus, ubi et quomodo nutriatur, lege: Fœtus parentis pars.

Fœtus an sit animal, lege: Fœtus parentis. Fœtus qualiter moueatur, lege: Fœtus parentis pars.

Fœtus figure sunt quatuor: Vna naturalis, quæ est in capite: reliquæ tres sunt præternaturam. In pedibus alia, obliqua: tertia duplex.

Fœtus si in pedes uenit per locellos & uterum, raro uiuit. Solin. cap. 4.

Fœtas fere semper idonei scriptores appellant puerperas, hoc est, eas quæ pepererunt. Inclytus tamen Poeta dixit, loca fœta furentibus austris, pro plena. Idem ait, Non insueta graues tentabunt pabula fœtas, pro pregnantibus. Verum alio in loco posuit fœtam, pro ea quæ iam peperisset. Sic enim inquit in aspido Poeta, Fecerat & uiridi fœtam mauortis in antro Procubuisse lupam. Plinius noster fœtam semper usurpat pro ea, quæ a partu cubat. Colum. lib. 7. cap. 6.

F O L

Folium uocant, carunculas quasdam ori prope caput arteria asperæ factas, ac loquelam impediunt: quæ ad egritudinem ducunt: & per solam ablationem curantur.

Foliatum, idem quod Foliatum.

Foliatum unguentum, id est, Malobathrinum.

Folium, & in herbis, & in floribus reperitur.

Folium Indum. Lege, Malobathrum.

F O M

Fomentatio proprie est, quæ fit ex decoctio

F O

ne herbarū, uel in aqua, uel in uino. Etiam si quidam id uocent Embrocationem. Cæterum Embrocatio uocatur, cum ex alto in membrū infimum demittimus eius decoctionis stillicidium.

F O N

Fons in Arcadia, cuius haustus interimit. Solinus cap. 12.

Fontes calidos habet Sardinia. Lege Solinum dictione Sardinia.

Fons in Alesina regione tibiarum sono ultra margines transit. Solinus cap. 11.

Fontes duo apud stagnum Gelonium, quorum unus fecundat steriles, alter fecundas sterilitat. Idem ibidem.

Fontes centum in monte Tomaro. Solinus capite. 12.

Fons in Epiro, ultra omnes frigidus, & spectatæ diuersitatis. Solin. cap. 12.

Fons quidam in Epiro, demersam facem extinguit, & procul amotam suapte igne inflamat. Solin. cap. 12.

Fons Castalius in Parnasi iugo. Solin. c. 12.

Fons Calliroe in Attica regione memorabilis. Solin. cap. 12.

Fons Crunossa, Atticæ regionis memorabilis. Solin. cap. 12.

Fontes Thebarum Arethusa, Aedipodia, Psamate. Solin. cap. 12.

Fontem Libetrium Magnesia regio habet. Solin. cap. 13.

Fons Exampeus, infamis, amara scaturigine. Solin. cap. 14. Fons hic etiam fluuium uicinum amaricat.

Fontes calidi, consolidantes ossa, in Sardinia. Solin. cap. 10.

Fontium calidorum, & diuersorum generum rationes & naturas, uide apud Vitruuium lib. 8. cap. 8.

F O R

Forda non admittit. Vacca prægnans dicitur Forda, a foetu. Ouidius. Forda ferens bos est. Ab alijs Horda appellatur, quadam cognatione literarum; ut hædus fædus. Inde in Fastis dies, Hordicalia, uel Fordicalia nominantur, quæ nonnulli appellant Fordicidia, quibus Hordæ, siue Fordæ, id est, grauidæ uaccae imolabantur. Colum. lib. 6. cap. 23.

Forma, est natura transmutationum effectiua.

Formica, est pustula parua, seu pustule quæ egrediuntur in summitate cutis; ex quibus

F O

sæpenumero oritur apostema purum, id est, inflammatio, seu herespela. Cuius duæ sunt species, scilicet, ambulatiua, uidelicet, quæ ambulat sine corrosione; & corrosiua, quæ ambulat cum corrosione.

Formica miliaris, est parua pustula, in colore & paruitate milij. De generatione earum require comment. Chirurgorum.

Formicatio, seu Formica, extuberatio quædam est in summa cute, parua, callosa, rotunda, latissimis radicibus inhærens, quæ in perfrictionibus punctiõnum quarundam morisionibus formicæ similitudinem sensum exhibet; crebro in manibus exoritur. Curam eorum require ex Paulo lib. 6. ca. 87.

Formicans pulsus. Lege, Pulsuum differentie.

Formix, malignum adeo ulcus, ut ex remedijs etiam quæ congrua uidentur, irritetur potius, quam mitigetur, & in sanas partes depascendo uagetur. Sunt qui Cancrum esse putent. Manardus Ferrariensis Phagedenæ speciem facit; cui & libenter subscribimus.

Fornacum terra quæ, uide apud Dioscoridæ lib. 5. cap. 169.

Fortitudo. Lege, Nerui.

Fortuna, est causa per accidens agentium secundum propositum, eorum quæ raro eueniunt, & alicuius gratia. Aristot.

Forunculi, græce, φάγελλα, tumidi quidam in corpore abscessus.

F O S

Fossas ueteres tergere. Verrens Flaccus, Iuris pontificij peritissimus, quia ferijs tergere ueteres Fossas licebat, nouas facere ius non erat, festiuiter dicere solebat, ferias idoneas magis uidiuis esse, quàm uirginibus ad nubendum; tanquam Fossæ ueteres sint uidiuæ, quas feriatis dieb, tergere fas esset. Colum. lib. 2. cap. 22.

F R A

Fractere, id est, emollire, & coalescere in fracium similitudinem.

Fractere dicuntur oliuæ, quæ collectæ, calore & uetustate putrescunt.

Fraces, oliuarum sunt carnes, & inde faeces a ueteribus olei dictæ. Barbarus Ricini etiam carnem interpretatur.

Cum Fracibus. Sicut floces prisco uocabulo significat uini fecem, e uinaceis expressam, ita Fraces ex oleis. Plinius dixit, Fraces esse carnes oliuarum, & inde faeces.

Oleum, ut inquit Cato, quamdiu in amurca et fracibus erit, tam deterrimū erit. Hinc uerbum factum uidetur Fracescere: quod est, fracibus resolui, corrumpi, atque putrefieri uetustate. M. Varro, Olea lecta si nimium diu fuerit in aceruis, calore fracescet. Item. Hoc de quo fit oleum, cōgeri solet aceruatim per dies singulos in tabulata, ut ibi mediocriter fracescat. Colum. libro de Arboribus, cap. 14.

Fractio, in magnas partes diuisio est, atque distractio.

Fractura in osse, dicitur græce ἀπάγμα, in neruosis fibris σπάσμα, in musculis uero hulus & ruptio. Gale. 6. Method.

Fracturarum ossium in capite differentia sunt octo. Ruptio, Incisio, Engiffoma, Ecpialma, Camarosis, Apolceparnismos, Apagma, Thlasma. Nonnulli Thlasma inficiantur, Apechema autem ruptioni supponunt. Ruptio, est ossis intercisio in superficie quæ recta est, aut angusta, aut lata. Incisio est ossis excussio, quando affectum os minime ruptū est. Engiffoma, est ossis discissio, quando id quod in imum subsedit, & ad os non affectum transcendit. Ecpialma, est ossis multiplex incisio, & ossa ad imum extenduntur & descendunt, & menyngem membranam frangunt. Camarosis, est ossis discissio, quum ossis fractura utrinque, ut camaris ossis assimuletur. Apolceparnismos, est ossis eiusdem abscissio cum uulnere. Apagma, est ossis præcisio in superficie apparēs, uel ad imum pertingens, descendens uel in partibus ruptioni appositis. Thlasma, id est, fractio, est separatio caluariæ in profundum circa fracturam: fitque in puerili maxime ætate. Cognosces aperte in uasis stanneis, si quid cōtingat, aspexeris.

Fraginosa, Coniza, apud Dioscoridem libro. 3. capite. 135.

Fraxinago. Lege, Fraxinula.

Fraxinula, siue Fraxinago, herba dicitur, ueteribus nusquam dicta, quod equidē sciam. Mauritania uel hanc, uel similem fraxinulæ Secaculim appellat, in compositione ad uenerem excitandam quæ sita adhibita: radice candida & nodosa: flore uiolaceo, fere inter candidū & nodosum: semine rotundo ut iuniperi: folia inter pinum & fraxinum. Non desunt tamen qui Secaculim

ex India tantum inuehi putent, notis quas modo exposui. Quandoquidem fraxinago hæc, quæ in nostris habetur manibus, inefficax, & infirma sentitur ad medicinā. Fraxinus Græce μελία, uel milea. Trinodemque cognominant, quia ramulos habet prægrandes, ordinatos, paresque numero: quod genus arborum Græci ἀξιολογώτατον, ut quidam interpretantur, id est, egregias appellant. Copiosissima, procera, teres. Fructificat æstate. Latius depingitur a Plin. libro. 16. capite. 13. libro. 24. capite. 6. ab Dioscor. libro. 1.

F R E

Fremium, id quod Græci uocant Anemone. Cæterum de Anemone Dioscor. libro. 2. cap. 195. Plinius lib. 21. cap. 12.

Frænum lachrymarum, uocant neruosam carnem quæ spiramentis nasi interiacet: quoniā eo uelut abire ab exitu repellitur, ac uelut suffrænatur humoris illuc deflua abundantia, cogiturque in nares delabi. Quod si abscindatur, aut casu minuatur, perennis fit lachrymarum fluxus.

Fressæ, id est, cōtuse, ut palme abietis fressæ.

F R I

Friatio, in quascunque partes, sine discrimine diuisio, & quæ duabus plures sunt. Friabiles sunt, lapides, glacies.

Friare, id est, manu terere, medicum uerbum, longe uetustius quæ terere. Item,

Friare, quod & infriare dicitur, est in puluerem redigere, & minutim digitis terere, atque inspergere. Vulgo dicunt Puluerizare. Colum. lib. 8. cap. 5.

Frictio, ἀποθεραπειτική, latine recuratoria. Hæc cum plusculo oleo administrata, simul pinguitudine humectat, & solidas emollit, & quæ in habitus meatibus continentur, euaporat. Gale. 2. de ualitudine tuenda.

Frictionis differentia apud Gale. 2. de sanitate: καρόιον, id est, transuersum, σιμόιον, id est, transuersum, πλίγιον, id est, obliquum, λόξον, τρίψιον, ἢ ἀνατρίψιον. fol. 162.

Frictio præparatoria, est quæ modice calefaciendo tenues meatus recludit, et simul excrementa, quæ caro cōtinet, fluxibilia reddit, & solida corporis emollit. Gale. 2. de ualitudine tuenda.

De frictione, uide Celsum lib. 2. cap. 13.

Vis frigoris excoquit. Idem est effectus fri-

F R

geris, et calor: iuxta illud Maronianum.
Penetrabile frigus adurit. Cōsimiliter Lu-
canus. Vrebant montana niues. In hanc
sententiam Palladius. In utraq; pastinatio
decoquetur beneficio alboris & solis. Co-
lumella libro. 11. capite. 3.

Frigidiora membra in homine, piliosa, chō-
dros, chartilago, membrana omnis, quæ
& ὀμνή.

Frit, sic uocant id quod minus est in spica ꝑ
granum. F R O

Frondis recto casu apud Serenum legitur
pro frons, Prodest præterea cum Baccho
Persica frondis.

Frons, anterior capitis pars supra superci-
lijs, capillis carens, & glabra, ab aure ad
aurem extenditur.

F R V

Fruges primum repererunt Gnosij. Soli-
nus capite. 16.

Frutex uocatur, quod ab radice, caudice
multiplici, ramosumq; sese attollit. ut ru-
bus, & paliurus. Theophrastus libro pri-
mo. Plin. lib. 15.

Frutex item, qui ad iustam arboris magni-
tudinem non assurgit.

Frutices quidam in mari Ligustico lapidi-
bus duriores. Multa de his Solinus cap. 8.

Fruentum uocatur, quicquid ex se aristas
mittit, græce σίτρον. Etiam triticum solum
hodie uenit hoc nomine.

Fruentum, ut autor est Varro. 15. diebus
in uagina est. 15. floret. 15. arescit. Post flo-
rem crassescit, inquit Theophrastus, matu-
raturq; intra quadragesimum diem: tum
tardissime octauo a satu mense plurima
parte metitur.

F V C

Fucus marinus quid sit, uide apud Dioscor.
libro. 4. capite. 101.

Fuci, sine aculeo imperfectæ apes, nouissi-
meq; dicuntur a fessis & iam emeritis in-
choatæ, serotinus fœtus, & quasi seruitia
uerarum apum. Plin. lib. 11. cap. 11.

F V G

Fuga dæmonum. Vide, Perforata.

F V L

Fulgetra, est spiritus ignitus & coruscās, cū
nubes disrumpitur: quæ tonitru antecede-
re solet, cū tamen post ipsum fiat.

Fulica, græce φήνη, quam et Olsifragam uo-
cant, ingens avis, pullos aquilæ ante tem-

F V

pus exclusos nutrit, autor Aristot. & Am-
brosius lib. Hexam. & Aelianus.

Fuligo, & Fumus differunt: quia fuligo tra-
por est terrestris, fumus mixtio quædā ex
terrestri aqueaq; substantia, Gale. 8. Meth.

Fuligo qua pictores utuntur, ex uitrarijs of-
ficinis colligi solet. Diosc. lib. 5. cap. 173.

Fuligo liquidæ picis. Lege, λογνός τῆς ὑ-
γρῆς πίστεως, fit e pice cremata.

F V M

Fumaria, uel Fumus terre, Capnos Diosco-
ridi lib. 4. cap. 111.

Fumus, lignosi corporis exhalatio. Aristot.
4. Meteo. Lege, Fuligo.

Fumalis candidus, id est, Cereus albus, uel
ex cera candela alba. Primus hanc Corne-
lius succendit, e senatu domū rediens, tan-
ta uerecundia, ut non prius accendi patere-
tur, quā tota curia e foro discessisset: quia
cæteri aut laterna, aut triuiali cera dedu-
cebantur.

F V N

Fungi græce uocantur μύκητες. Sunt qui
γενεῖς, id est, ex terra genitos appellant.
Nuncupantur abe isdem & Myce, genere
masculino.

Fungorum differentia multæ apud Diosc.
lib. 4. cap. 86. Plin. lib. 22. cap. 22.

Funis pauperum, Volubilis

Funis brachij, uena dicta, quæ inter auricu-
larem, & minimum digitum intercurrit:
quam Arabes uocant Sceilem.

F V R

Furfur, Porrigo. De qua lege in dictione
Pityra.

Furnus color. Lege, Ater.

Furunculus, palmes est iuxta palmitem, cu-
stos nuncupatus, qui est uerruce magnitu-
dine. Columella libro quarto, capite. 24.

Furunculus etiam græce δ'ὀβίνη, tubercu-
lum est acutum cum inflammatione ac do-
lore, in carnosissimis maxime partibus. Galeno
prouenit ex humoribus crassis. Differt a
Phymate, quod maius est Furunculo, ro-
tundius, atq; planius. Serenus,
Cum sanguis nimius puri cōmiscēs atroci
Aestuat, & papulas alte sustollit acutas.

Furni Campanici, id est, clibanii, quibus pas-
sim utuntur officinæ, ex floribus, herbisq;
subiecto igne exsudatum ignem colligen-
tes. Teuto. Distillier œfen, oder Brenn-
œfen.

G A

F V S

Fuscium. Vide, φύσις.

Fuscus color. Lege, Ater.

Fusus agrestis. Attractylis herba apud Dioscor. libro. 3. capite. 106.

G A B

GAbalium nostro orbi tantum nomine cognitum. Nascitur in Arabia cum Casia & Cinnamomo. Plinius libro. 12. capite. 21.

Gabrielem Veroneñ. adhuc superstitem audiuius, Paduani gymnasiij principem, & medicinæ miraculum quoddam.

G A C

γάκος, uellus.

G A D

Gados. Lege, Onistos.

G A G

Gagates lapis qui sit, & ubi reperitur, uide apud Dioscor. lib. 5. cap. 137.

G A I

Gaioli, & Lagunculi, dulciarij panes: a Gaiō & Lagunculo pueris.

G A L

γάλα, Lac.

Galaadites lapis nascitur in Arcadia: cuius uirtutes lege apud Solinum capite. 12.

γαλακτίδες, Lege, Lactes.

γάλα προβάτων, lac ouillum.

γάλα όθειον, lac bouinum, uel uaccinum.

γάλα όνοιον, lac asininum.

γάλα ήπιον, lac equinum.

γάλα άγρειον, lac caprinum.

γαλακατάσσω, ubertatem lactis facio.

Galacion, idem quod Galion apud Dioscoridem libro. 4. cap. 95.

Galactis, Tithymalus apud Dio. li. 4. c. 168.

Galactites lapis appellatur, quod lacteum reddat, & ex uno colore lactis est, Dioscorides libro. 5. capite. 141.

Galactobdalon, apud Plin. lib. 27. cap. 9. id quod Galeobdolon, & Galiopsis apud Dioscor. libro. 4. capite. 95.

Galactopota, id est, potores lactis, & lacte uictitantes. Græce γάλα, dicitur lac. Suidas. γαλακτοπότος ό γαλαπίνων, id est, Galactopotes est lac bibens. Columella libro. 7. capite. 2.

Galaxia, lapis Morochthos, de quo uide apud Dioscor. lib. 5. cap. 143.

Galbanum, succus est nascentis in Syria ferulæ, quod nonnulli Metopium uocent.

G A

Dioscor. libro. 3. capite. 96. Plin. lib. 12. cap. 25. lib. 24. cap. 5. Nam,

Galbanum dat Syria in monte Amano e ferula, quæ eiusdem nominis resinæ modo Stagonitin appellant, Plin. lib. 12. ca. 25.

Galba, ut ait Suetonius in Galba, animalia sunt exilia, quæ in æsculis nascuntur. Lege, Psenas.

Galbinus color. Lege, Color uarius.

Galbuli, Cupressi nuces, & conii.

γαλή κατοικίδιος, mustela domestica & uulgaris.

Galeacius, cui cognomētum de S. Sophia, scripsit cōmentarios in nonum librū Rasis ad Almanforem, qui in manib. habentur. Ex albo Barbarorum & Neotericorum.

Galena, siue Molybdena, Glantz uñ Bleyertz, auch Bleyeschuueyff. Vide Molybdena.

Galenia. Vide, κορυδαλλός.

Galenus degens adhuc Smyrnæ, Pelopis audiendi gratia, qui secundus post Satyrū Quintum, discipulum præceptor inibi elegit. Anatomice libro. 1.

Cl. Galenus Pergamensis, natus est patre Nichone geometra, & architecto diuite, & όνομασότατω, sed & alijs quoq; disciplinis multis erudito, ut testatur ipse in. 8. Metho di his uerbis. Non pauci ex condiscipulis, dixerunt me, & excellenti natura, & singulari, propter patris mei liberalitatem, eruditione: tum & ætatem ad discendum idoneam, et impensas, unde studijs uacem supeditatas habere: secum non ita agi, qui & rudes in primis disciplinis essent, nec acuto ut ego ingenio, nec quod impenderent habere, cōtentos esse oportere ijs quæ nosset, qualiacunq; tandem ea foret. Ab hoc igitur in somnis monitus, cum iam philosophia esset initiatus, ad medicinam se contulit: quod & in. ix. Therapeuticæ sic de se reliquit. Nunc pleriq; medicorū docere tentant, quæ nec ipsi unq; fecerunt, nec alijs ostenderunt. Cæterum uulgus medicorū, nihil mirum est, si contemptis bonis moribus, opinioni sapientiæ magis, q̄ ueritati inhiat. Verum nō sic fuit ratio nostra. Nō em̄ heri & nudius tertius, sed statim ab adolescentia philosophiæ studio capti, primū nos ad eam cōtulimus. Mox pueri euidenti insomnio moiti, ad Medicinæ studium uenimus, ac per totam uitam operib. ma-